

N. 87.

A. D. 1219.

(6 agosto, Indiz. VII).

<i>Data di luogo</i>	Acquaviva.
<i>Rogatorio</i>	Stefanus not.
<i>Descrizione</i>	Taglio rettang. tranne che d. p.: alt. 0,27, largh. 0,19.
<i>Scrittura</i>	Gotica incipiente.
<i>Contenuto</i>	Donazioni e privilegi concessi da Nicolaus de Funtanellis, signor del castello di Acquaviva al monastero di s. Erasmo.
<i>Bibliografia</i>	GARRUBA, <i>Ser. crit.</i> , p. 202 (cit.).

† In nomine dei eterni et salvatoris nostri iesu christi Amen. Qui celestis regni gloria cupit acquirere ad faciendum lucrum creatori suo debet enixius laborare ut ad ea que desiderat operationibus suis gradibus salubriter possit ascendere et gratiam salvatoris sui perpetue possidere. Igitur nos Nicolaus de Fontanellis dominator castelli Aquevive considerantes quanta bona fecit nobis omnipotens dominus cupientes nittui placere divino pro dei amore et mercede anime nostre (1) et omnium defunctorum parentum nostrorum donamus et concedimus ecclesie sancti Herasmi in manu dompni Nicolai venerabilis Abbatis ipsius monasterii et successorum eius domum que fuit Petracce de Grimula foris in burgo huius prefati castelli cum ortichello retro se et omnes terras eiusdem Petracce ubicumque sunt. et terras de loco qui dicitur Barbate de quibus eadem ecclesia habet instrumentum suum et terras quas ipsa ecclesia tenet per instrumentum suum in loco qui dicitur Conecti et petiam terre retro ecclesiam sancti Petri de qua eadem ecclesia habet instrumentum suum et terras que fuerunt sire Umfredi militis offerri eiusdem ecclesie et omnes terras casalis Sandiani cum piscina sua Concedimus autem et donamus eidem ecclesie libertatem de omnibus rebus suis ut tam predictas terras et omnes alias res suas libere et absolute teneat et possideat in omnem libertatem ut nullum servitium exinde tribuat nobis vel baiulis nostris set animalia eiusdem ecclesie vadant et veniant per totum tenimentum terre nostre Aquevive liberi da herba de glandis de aqua de terratico de lignis incidendis ad omnem utilitatem eorum sine data sive affidatura sive adiutorio dando sine refectione murorum vel vallorum et ab omni exactione puplica. sine contrarietate et requisitione nostra nostrorumque heredum omniumque hominum. Ad huius autem nostre donationis et concessionis memoriam et firmitatem in perpetuum retinendam presens privilegium predictae ecclesie exinde fieri iussimus per manus Stefani notarii nostri propriis manibus nostris et nobilium hominum testium subscriptorum annotatione munitum Anno dominice Incarnationis Mille-

---

(1) \* *mec.*

simo ducentesimo nonodecimo Regnante domino nostro Frederico invictissimo Romanorum Rege et semper Augusto Anno septimo et Regni Sicilie anno vicesimo secundo Mense Augusti sexto astante indictionis septime.

† Ego Nicolaus de funtanellis ss.

† Ego Tancredus de funtanellis hoc firmo.

† Ego Deusdedit de funtanellis.